

sione est humanum. Et etiam erit licitum  
 dicto Religioso penitenti excommunicato  
 ad Eucharistiam accedere cum debita con-  
 tritione, quando Prelatus non vult ipsi con-  
 cedere auctoritatem ad casus reseruatos, &  
 timet maximam infamiam, aut maximum pe-  
 riculum, si non accedat, prout tenent Ledes-  
 ma vbi supra Syluel. ver. Eucharist. 2. q. 7. §.  
 quantum vero. Quod probatur: nam etiam pre-  
 sente Confessore, qui eum absolueret possit, po-  
 test sine Confessione celebrare, aut comuni-  
 care, quando ex confessione timet periculum  
 simile imminere sibi. Et confirmatur. Nam  
 etiam concedit Doctissimus Nauarrus cap.  
 27. num. 279. quod irregularis ad euitan-  
 dum simile scandalum, & periculum potest  
 celebrare. Et quantum ad inhabilitatem  
 celebrandi paripassu ambulant respectu pec-  
 cati mortalis excommunicatus, & irregularis.  
 Ex his inferitur, quod Religiosus accedens ad  
 celebrandum cum ex communicatione reseruata,  
 ad cuius absolutionem sibi auctoritas a Sope-  
 riore est negata, si hoc facit necessitate co-  
 pulsus non potest aliter scandalum euitare, aut  
 pericula allegata fugere, minime incurrit ir-  
 regularitatem, qua incurritur excommunicatus cu-